

rum ratione eiusdem incurret. In quarta fortunatus, ueniet lucrum ratione parentum uel prædecessorum, uel ratione culturæ terrestres, plantatione arborum, u nearum, ædificationis domorum, uel inueniet thesaurum &c. Si fuerit infortunatus, dic contrarium. In quinta fortunatus, habebit utilitatem ratione filiorum, uel donationum, uel ratione tabernarum &c. Si infortunatus fuerit significat contrarium. In sexta fortunatus, non enim hic consideratur infortunium ratione domus, sed si fuerit in aliqua suarum dignitatum de maioribus directus ac receptus, & saluus ab alijs impedimentis, lucrabitur ratione seruorum & ancillarum, uel ratione animalium paruum, uel ratione incarceratorum &c. Si infortunatus ibi fuerit, dic oppositum. In septima fortunatus si fuerit, accipiet lucrum ratione uxoris uel mulierum, uel ratione participationis sociorum, uel tumultuum uel litium &c. Si infortunatus, significat infortunium in dictis rebus. In octaua fortunatus significat utilitatem, & lucrum ratione mulierum, uel ratione diuitiarum ex mortuis. Si infortunatus ibi fuerit, dic contrarium. In nona fortunatus, lucrabitur ratione rerum ecclesiasticarum, uel ratione longorum itinerum, quod mercatum ibit ad longinquas partes. Si fuerit infortunatus, significat quod expendet, & damnum recipiet, ratione longarum uiarum, uel ratione rerum ecclesiasticarum. In decima fortunatus, significat lucrum ac diuitias à regibus & dominis, uel quia erit rector ciuitatum uel castrorum. Si fuerit infortunatus, dic contrarium. In undecima fortunatus, diuitias & lucrum ratione suorum amicorum, uel ratione Baronum & consiliariorum regis decernit &c. Si infortunatus, dic infortunium eadem ratione. In duodecima fortunatus, intelligendo eius fortunium, sicut dictum est de sexta, significat, quod natus habebit utilitatem ratione inimicorum, maxime occultorum, uel ratione magnorum animalium, equorum, bouum camelorum &c. Si infortunatus ibidem, dic damnum ratione prædictorum.

An licite uel illicite diuitiæ nato uenturæ sint.



CONSIDERA significatorem diuitiarum, qui si fuerit Saturnus bene dispositus ac fortunatus, natus iuste & meditato animo eas acquirere, sed tamen cum aliqua fraude & mendacio. Si infortunatus fuerit, acquirere illas illicite. Si significator diuitiarum fuerit in domibus Saturni, acquirere eas ratione languorum, & angustiarum, & rerum antiquarum, cum prodicione, & animo maligne, uel ratione rusticorum, seruorum, ancillarum, uel hominum prouectæ ætatis, & uilium personarum.

Si Iupiter significator diuitiarum nati fuerit bene dispositus, acquirere eas iuste cum omni æquitate & rectitudine. Si infortunatus fuerit, diminuas & remittas secundum maliciam eius. Significator diuitiarum in loco Iouis, acquirere diuitias ratione rerum iustarum, & Ecclesiasticarum, & ex omnibus rebus in quibus est honestas & religio, & habebit eas ratione nobilium, & suorum maiorum, uel ratione sapientum, iudicum, Episcoporum, & cum his erit conuersatio nati.

Mars fortunatus significator diuitiarum, significat natum eas acquirere quodammodo licite, tamen cum permixtione fraudis & deprædationis diminutæ. Si infortunatus, non licite, sed iniuste, ac maligne eas habebit. Si dictus significator fuerit in domibus Martis, diuitias acquirere ratione deprædationis, seditionis, atque litium, uel ratione furti, uel rapinæ.

Sol significator, bene dispositus, licite cum magno ac famoso modo habebit. Si infortunatus, illicite, & hoc erit palam, nec multum curabit de populo, qui ea ratione eum uituperabit. Si dictus significator in loco Solis fuerit, habebit diuitias ratione regni, aut alicuius potestatis.

Venus